

niam vero singularia sunt diversa, *universale est ubique, sed non secundum idem esse*<sup>1</sup>; ita ut, quemadmodum subdit s. Bonaventura, « quamvis sit in omnibus singularibus, tamen secundum aliud, et aliud suppositum, et ita numeratum<sup>2</sup> ». Atque, « cum multa loca sint, ubi sua singularia non sunt, nec ibi est universale<sup>3</sup> ».

XIV. UNIVERSALITER REM COGNOSCERE EST PERFECTIUS COGNOSCERE. Istud effatum, secundum s. Thomam, hanc habet sententiam: « Cognoscere aliquid in universali dicitur dupliciter: Uno modo ex parte rei cognitae, ut scilicet cognoscatur universalis natura rei. Et sic cognoscere aliquid in universali est imperfectius; imperfecte enim cognosceret hominem, qui cognosceret de eo solum, quod est animal. Alio modo ex parte medii cognoscendi. Et sic perfectius est cognoscere aliquid in universali; perfectior enim est intellectus, qui per unum universale medium potest singula propria cognoscere, quam qui non potest<sup>4</sup> ».

XV. UNO ABSURDO DATO, SEQUITUR ALTERUM. Quod solet hunc in modum explicari: Modica transgressio principio a veritate discedentibus in fine fit longe decies millies maior. Exemplum esto de iter agente, qui errat in principio itineris; et ideo quo magis pergit, eo magis in errore perseverat. Sic primus error in principiis fit maximus in fine. Hinc s. Thomas: « Ille gravissime ignorat, et periculosissime errat, qui errat circa principia<sup>5</sup> ». Et alibi: « In quolibet genere pessima est principii corruptio, ex quo alia dependent<sup>6</sup> ».

XVI. UNIUS TANTUM EST UNUM PROPRIUM. Evidens est hoc effato non illud significari, in qualibet re unam tantum esse proprietatem: sed potius unum non posse esse stricte proprium duorum specie et natura differentium. Nemo enim *proprium* appellat id, quod potest aliis inesse<sup>7</sup>. Sane, *proprium* essentiam speciei necessario consequitur<sup>8</sup>; atqui essentia non nisi uni tantum speciei convenire potest,

<sup>1</sup> I, q. VIII, a. 4 ad 1.

<sup>2</sup> In lib. I *Sent.*, Dist. XXXVII, a. II, q. 1 *resol.*

<sup>3</sup> S. Thom., *De Pot.*, loc. cit.

<sup>4</sup> I, q. LV, a. 3 ad 2.

<sup>5</sup> *Qq. dispp. de Malo*, q. III, a. 13 c.

<sup>6</sup> 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CLIV, a. 12 c.

<sup>7</sup> Vid. p. 276.—<sup>8</sup> Vid. p. 8.

quia est illud, quo una species ab alia differt; ergo proprium non nisi uni tantum speciei convenire potest.

XVII. UNUMQUODQUE AGIT, SECUNDUM QUOD EST ACTU<sup>1</sup>.

XVIII. UNUMQUODQUE COGNOSCIBILE EST, SECUNDUM QUOD EST IN ACTU<sup>2</sup>.

XIX. UNUMQUODQUE, DUM EST, NECESSARIO EST. Sermo hic est de necessitate *hypothetica*<sup>3</sup>. Si enim ponatur aliquid esse, necesse est, ut sit, alioquin idem simul esse, et non esse posset.

XX. UNUMQUODQUE EST PROPTER SUAM OPERATIONEM<sup>4</sup>.

XXI. UNUMQUODQUE IMPERFECTUM CAUSATUR A PERFECTO<sup>5</sup>.

XXII. UNUMQUODQUE NATURALITER SUO MODO ESSE DESIDERAT<sup>6</sup>. Ex hoc effato s. Thomas egregie infert substantiae incorruptibilitatem. Eo enim posito, sic arguit: « Desiderium in rebus cognoscentibus sequitur cognitionem. Sensus autem non cognoscit esse, nisi sub hic et nunc; sed intellectus apprehendit esse absolute, et secundum omne tempus. Unde omne habens intellectum naturaliter desiderat esse semper. Naturale autem desiderium non potest esse inane. Omnis igitur intellectualis substantia est incorruptibilis<sup>7</sup> ».

XXIII. UNUMQUODQUE TANTUM HABET DE BONO, QUANTUM HABET DE ESSE. Veritas huius effati profluit ex eo, quod bonum et ens convertuntur<sup>8</sup>.

## V

### DISTINCTIONES

I. VERITAS IN ESSENDO—IN COGNOSCENDO—IN SIGNIFICANDO. *Veritas in essendo* est convenientia rei cum intellectu a quo, tamquam a causa, ipsa res pendet. Hoc sensu res naturales dicuntur *verae*, quatenus conveniunt Intellectui

<sup>1</sup> Vid. p. 40.

<sup>2</sup> Vid. *Nihil cognoscitur, nisi secundum quod est in actu*, p. 233.

<sup>3</sup> Vid. p. 3-4.

<sup>4</sup> Vid. *Ultima perfectio rei est eius operatio*, p. 377.

<sup>5</sup> Vid. *Perfectum est prius imperfecto*, p. 278.

<sup>6</sup> Vid. p. 53.—<sup>7</sup> I, q. LXXV, a. 6 c.—<sup>8</sup> Vid. p. 45.

Divino, idest illas habent proprietates, quibus a sui Auctore donatae sunt. E. g., lapis dicitur verus lapis, cum assequitur propriam lapidis naturam, secundum eius exemplar, quod est in Divino Intellectu<sup>1</sup>. Cum autem fieri nequeat, ut res naturales Intellectui Divino non sint consentaneae, sequitur, ut nulla in eis falsitas esse possit. Eodem sensu res artificiales dicuntur verae, quatenus intellectui artificis respondent. E. g., domus aliqua dicitur vera, si conveniat cum intellectu architecti, qui illam concepit<sup>2</sup>. Hinc scientia Dei est *mensura rerum*, quatenus « unumquodque in tantum habet de veritate suae naturae, in quantum imitatur Dei scientiam, sicut artificiatum, in quantum concordat arti<sup>3</sup> ». Veritas in *cognoscendo* est convenientia rei cum intellectu, ad quem *per accidens* ipsa res refertur, seu cum intellectu, a quo res cognosci potest<sup>4</sup>. Unde verae dicuntur cognitiones nostrae, si res, quales revera sunt, exhibent<sup>5</sup>. Porro in huiusmodi definitione inspicitur veritatis in *cognoscendo* ratio *formalis*, nempe id, quod eius essentiam constituit, atque sub hoc respectu clarius definitur: *Adaequatio rei et intellectus, quatenus intellectus dicit esse, quod est, et non esse, quod non est.* « Veritas, inquit s. Bonaventura, venit ex concordia intellectus ad rem cognitam; haec autem concordia non est aliud, nisi adaequatio rei, et intellectus<sup>6</sup>. Quod si illius *fundamentum*, nempe ens, quod cognoscitur, vel *effectus*, nempe cognitio, quae consequitur ex adaequatione rei et intellectus, spectetur, tunc alia de ipsa veritate occurrent definitiones. Scilicet secundum *fundamentum* definitur: *Veritas est id quod est.* Secundum *effectum*: *Veritas est qua ostenditur id quod est.* Denique veritas in *significando*, quae *moralis* dici solet, vel *materialiter*, vel *formaliter* usurpari potest. Primo sensu est convenientia signorum cum rebus ad quas patefaciendas destinantur;

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., I, q. XVI, a. 1 c.—<sup>2</sup> *Ibid.*

<sup>3</sup> I, q. XIV, a. 12 ad 3.—<sup>4</sup> I, q. XVI, a. 1 c.

<sup>5</sup> Haec est enim veritatis definitio, firma eius, quod est, intellectio; falsitas enim phantastica quaedam est circa id, quod non est comprehensio, quasi subsistat quod non est. Veritas autem est eius, quod vere est, firma intellectio; s. Greg. Nyssen., *De vita Mosis*.

<sup>6</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVIII, a. II, q. 1 ad arg.

seu *aequalitas signi ad rem signatam*<sup>1</sup>. Altero sensu *potius veracitas* dicitur, atque est convenientia signorum, cum eo quod est in mente, a qua convenientia si quis recedat, mendax dicitur. Iam vero veritas in *cognoscendo logica* audit; veritas autem in *essendo* vocari assolet *metaphysica*, vel *transcendentalis*; quippe quae convenit omnibus entibus, cum sit ipsa entitas rei, prout haec dicit ordinem ad intellectum. Scilicet, sicut bonum *transcendentale* est ipsum ens, quatenus exprimit convenientiam ad appetitum<sup>2</sup>; ita verum *transcendentale* est ipsum ens, quatenus exprimit convenientiam ad intellectum. Exinde haec colliguntur: 1<sup>o</sup> Verum, licet convertatur cum ente, tamen ab eo differt *ratione*, quia *addit supra ens comparisonem ad intellectum*<sup>3</sup>. 2<sup>o</sup> Res dicuntur verae per ordinem ad intellectum, praecipue Divinum, qui est prima regula aliorum, et a quo, tamquam a sua mensura et principio, res dependent. 3<sup>o</sup> Veritas principaliter in intellectu, quam in rebus reperitur, ita ut si omnis *intellectus, quod est impossibile, intelligeretur auferri, nullo modo veritatis ratio remaneret*<sup>4</sup>.

II. VIA COMPOSITIONIS—RESOLUTIONIS<sup>5</sup>.

III. VIRTUALITER—EMINENTER—FORMALITER<sup>6</sup>.

IV. VIRTUALITER—REALITER—FORMALITER. Obtinent haec voces in distinctione plurium inter se<sup>7</sup>. *Virtualiter* autem locum quoque habet in distinctione quantitatis *virtualis* a quantitate *dimensionis*<sup>8</sup>; tactus *virtualis* a tactu *physico*<sup>9</sup>, *immediationis virtualis* ab *immediatione suppositi*<sup>10</sup>. Insuper *virtualiter* aliquid in alio existere, idem est, ac existere in *potentia subiectiva*<sup>11</sup>; vel etiam idem ac *implicitate*<sup>12</sup>.

V. VISIONIS SCIENTIA—SIMPLICIS INTELLIGENTIAE. Dicuntur de scientia Dei. Porro scientia *visionis* denominatur respectu eorum, quae actu sunt, vel erunt, vel fuerunt. Cum enim in aeternitate Dei differentia praeteriti et fu-

<sup>1</sup> 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CIX, a. 1.—<sup>2</sup> Vid. p. 45.

<sup>3</sup> I, q. XVI, a. 3 c.—<sup>4</sup> *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. 1, a. 2.

<sup>5</sup> Vid. *Processus compositivus—resolutivus*, p. 273.

<sup>6</sup> Vid. p. 133.—<sup>7</sup> Vid. p. 133.

<sup>8</sup> Vid. p. 293.—<sup>9</sup> Vid. p. 361.

<sup>10</sup> Vid. p. 168.—<sup>11</sup> Vid. p. 11.

<sup>12</sup> Vid. p. 110.

turi non adsit, Deus ea omnia intuetur, seu videt tamquam *actu praesentia*. *Simplicis intelligentiae* dicitur respectu eorum, quae sunt mere possibilis, quae nempe neque actu sunt, neque erunt, neque fuerunt<sup>1</sup>.

VI. VOCES CONNOTATIVAE—ABSOLUTAE<sup>2</sup>.

VII. VOCES PRIMAE INTENTIONIS—SECUNDAE INTENTIONIS<sup>3</sup>.

VIII. VOLITIO—INTENTIO—FRUITIO<sup>4</sup>.

IX. VOLUNTAS—LIBERUM ARBITRIUM. *Voluntas* et *liberum arbitrium* non sunt duae diversae potentiae, sed una, et eadem, sive *appetitus in bonum ratione apprehensum*; cum hoc tantum discrimine, quod ipsa dicitur *voluntas*, prout fertur in finem; *liberum arbitrium*, prout fertur in ea, quae sunt ad finem. Nihil enim aliud est liberum arbitrium, quam *vis electiva*; electio autem non est de fine, sed de iis, quae sunt ad finem. Inde exoritur distinctio inter *velle* et *eligere*. *Velle* enim, inquit s. Thomas, proprie dicitur « de fine, qui propter se appetitur. *Eligere* autem est appetere aliquid propter alterum consequendum; unde proprie est eorum, quae sunt ad finem<sup>5</sup> ». Quod si idem sanctus Doctor aliquando doceat *liberum arbitrium esse facultatem voluntatis et rationis*<sup>6</sup>, non illud intelligit, liberum arbitrium esse potentiam distinctam a voluntate et ratione, sed tantum vult ostendere, liberum arbitrium, quo homo est dominus suorum actuum, et quo actiones proprie dicuntur humanae, esse per rationem et voluntatem<sup>7</sup>.

<sup>1</sup> I, q. XIV, a. 9 c.

<sup>2</sup> Vid. *Absolute—Connotativae*, p. 3.

<sup>3</sup> Vid. *Intentio prima—secunda*, p. 179.

<sup>4</sup> Vil. p. 374-375.

<sup>5</sup> I, q. LXXXIII, a. 4 c. « Voluntas finis est; electio vero et propositum eorum quae sunt ad finem. Finem igitur esse aiunt, quod voluntati subiectum est, sive id quod volumus, ut est sanitas: ad finem vero id de quo consilium capimus, cuiusmodi est parandae sanitatis modus »; s. Maxim., *Opuscula theologica et polemica*, *De voluntate non simpliciter*.

<sup>6</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. I, a. 1 c.

<sup>7</sup> « Electio ac propositum est appetitionis, et consilii iudicii que concursus. Appetendo enim primum consultamus, seu deliberamus; exindeque iudicamus, ac cum iudicaverimus, quod ex iudicii libra praestantius visum est, id ei, quod deterius est, praeoptamus »; s. Maxim., *Op. cit.*, *De naturali voluntate*.

X. VOLUNTAS SIGNI—VOLUNTAS BENEPLACITI. Adhibetur haec distinctio respectu voluntatis Dei. *Voluntas* nempe *beneplaciti* est actus interior eiusdem Divinae voluntatis. Quare voluntas huiusmodi *formaliter* est in Deo. *Voluntas* vero *signi* est voluntas Dei improprie dicta, seu est signum exterius, per quod Deus se aliquid velle significat. Nam sicut in hominibus quaedam signa sunt, quae eorum voluntatem aperiunt, quaeque ipsa voluntas appellari solent; ita in Deo *metaphorice* dicitur *voluntas signi* illud signum exterius, quo suam voluntatem manifestam facit.

Ut clarius id intelligatur, prae oculis habenda est s. Thomae doctrina, quaedam nempe Deo tribui *proprie*, quaedam autem *metaphorice*. Ita de Deo aliquas humanas affectiones praedicamus non *proprie*, sed tantum *metaphorice*, scilicet ad ostendendum a Deo illos effectus produci, qui a nobis produci solent, cum illis affectionibus commovemur. E. g., sicuti homines, cum ab ira moventur, punire consuescunt, ita ad significandum Deum punire, dicimus Eum iratum esse. Item, sicuti nostram voluntatem per aliqua signa exprimere solemus, ita *metaphorice* dicimus in Deo *voluntatem* illud, quod in nobis est signum voluntatis. Sed hoc distat inter voluntatem, et humanas affectiones, quod haec, cum in se imperfectionem involvant, numquam de Deo proprie dicuntur; voluntas vero aliquando etiam *proprie* de Deo praedicatur. Distinguenda igitur est in Deo voluntas *proprie*, et *metaphorice* dicta. Voluntas *proprie* dicta vocatur *voluntas beneplaciti*; voluntas autem *metaphorice* dicta vocatur *voluntas signi*, quae est vel operatio, vel permissio, vel prohibitio, vel praeceptum, vel consilium, quia hisce signis nos aliquid velle declaramus<sup>1</sup>. Insuper « sciendum est quod haec voluntas signi tribus modis se habet ad voluntatem beneplaciti. Quaedam enim est voluntas signi, quae numquam incidit in idem cum voluntate beneplaciti, sicut permissio, quae permittit mala fieri, cum mala fieri numquam velit; quaedam semper in idem incidit, sicut operatio;

<sup>1</sup> I, q. XIX, aa. 11 et 12. « Ut ungeretur Saul in regem, fuit quidem voluntas Dei, sed non beneplacita, neque perfecta. Irascens enim populo, qui refutaverat Deum habere super se regem, eis hominem iussit institui »; Origen., *In Ep. ad Rom.*, lib. IX, n. 1.

quaedam vero quandoque in idem incidit, et quandoque non, sicut praeceptum, prohibitio et consilium<sup>1</sup> ». Nihilominus voluntas *signi* non semper quidem *incidit in idem* cum voluntate *beneplaciti*; at vero semper coniungitur cum aliqua voluntate *beneplaciti*; licet non semper coniungatur cum ea, quam nos censemus. E. g., cum Deus praecepit Abrahamo, ut filium Isaac immolaret, putabat iste Deum velle eiusmodi sacrificium, dum tamen non erat haec in Deo voluntas *beneplaciti*, sed ut manifesta fieret Abrahami fides et obedientia. Item, Deus permittit peccatum; Eius tamen voluntas *beneplaciti* non est peccatum, sed bonum, quod Ipse ex peccato sapientissime eruit.

XI. VOLUNTARIUM — VIOLENTUM. Communis penes omnes *voluntari* definitio est: *Illud, cuius principium est ab intrinseco cum cognitione finis*. Itaque nomen *voluntarii* hoc proprie significat, quod motus et actus fiat a principio interno, seu a propria illius, qui movetur, inclinatione. Additur, *cum cognitione finis*; ad hoc enim, ut actus, vel motus sit *voluntarius*, requiritur, ut procedat a principio perfecte intrinseco; seu ut agens habeat *in seipso principium sui actus, non solum ut agat, sed etiam ut agat propter finem*<sup>2</sup>. Ex quo fit, ut motus *voluntarii* a motibus *vitalibus* distinguantur. *Violentum*, sive *coactum* est illud, quod oritur ab exteriori principio, contra voluntatis propensionem. Exinde haec sequuntur: 1° *Violentia absoluta* inferri quidem potest in actus a voluntate *imperatos*, quatenus « per violentiam impediri possunt exteriora membra, ne imperium voluntatis exequantur »; numquam vero in ipsum proprium voluntatis actum, quatenus nempe hic a voluntate proficiscitur; secus ipse actus esset et non esset simul voluntatis<sup>3</sup>. Diximus, *violentia absoluta*, quae etiam *physica*, vel *compellens* vocari solet; ut intelligatur posse ipsis actibus voluntatis quamdam violentiam inferri, *impulsivam* nempe, seu *moralem*, quod evenit, dum minis, terroribus, suppliciis ad agendum ita inducimur, ut tamen eligendi ius nobis relinquatur. 2° Ex *violenti* definitione colligitur, ut « cum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo, qui patitur, voluntate patiendi, non sit simpliciter violentum; quia licet ille, qui patitur,

<sup>1</sup> *Op. disp., De Ver., q. XXIII, a. 3 ad 6.*

<sup>2</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. VI, a. 1 c.—<sup>3</sup> *Ibid.*, a. 4 c.

non conferat agendo, confert tamen volendo pati. Unde non potest dici involuntarium<sup>4</sup> ». *Violentum et coactum* promiscue adhiberi solent at magis proprie *violentum* est, quod oritur ex principio extrinseco contra naturam<sup>5</sup>: *coactum contra voluntatem*<sup>6</sup>.

XII. VELLE ANTECEDENTER—CONSEQUENTER<sup>4</sup>.

XIII. VELLE — NOLLE — NON VELLE. *Velle* diversimode opponitur *non velle* et *nolle*. Scilicet *nolle* significat voluntatem aliquod obiectum fugere; *non velle* significat eam aliquod obiectum neque amplecti, neque fugere. Ex qua distinctione sequitur ut *nolle*, non vero etiam *non velle* efficiat *involuntarium*. Ad hanc distinctionem spectat quod ait s. Thomas: « Non velle dicitur dupliciter: uno modo prout sumitur in vi unius dictionis, secundum quod est infinitum huius verbi: Nolo. Unde sicut cum dico: Nolo legere, sensus est: Volo non legere; ita hoc quod est: Non velle legere, significat: Velle non legere; et sic non velle causat involuntarium. Alio modo sumitur in vi orationis, et tunc non affirmatur actus voluntatis; et huiusmodi non velle non caussat involuntarium<sup>5</sup> ».

XIV. VOLUNTARIUM ELICITUM — IMPERATUM<sup>6</sup>.

XV. VOLUNTARIUM IMPERFECTUM — PERFECTUM. Oritur huiusmodi distinctio ex imperfecta, vel perfecta cognitione finis, quae ad *voluntarii* essentiam, ut iam diximus, requiritur. Porro *voluntarium perfectum* locum habet, cum cognitio huiusmodi est, ut *non solum apprehendatur res quae est finis, sed etiam cognoscatur ratio finis et proportio eius quod ordinatur ad finem ipsum*. Itaque voluntarium perfectum est illud, quod dirigitur ex cognitione, quae attingit finem non solum *materialiter*, sed etiam *formaliter*, seu ut non solum eius bonitas apprehendatur, sed etiam eius merita perpendantur, atque cum mediorum utilitate conferantur. Voluntarium huiusmodi spectat ad sola agentia, quae intellectu pollent<sup>7</sup>. Contra, *voluntarium im-*

<sup>1</sup> *Ibid.*, a. 5 ad 2.

<sup>2</sup> Vid. *Motus naturalis-violentus*, p. 206.

<sup>3</sup> Cf s. Bonav. *In lib. I Sent.*, Dist. VI, a. I, q. 1 *resol.*

<sup>4</sup> Vid. p. 18.—<sup>5</sup> *Loc. cit.*, q. VI, a. 3 ad 2.—<sup>6</sup> Vid. p. 12.

<sup>7</sup> Hac ratione voluntarium a s. Damasceno post Aristotelem (*Eth.* lib. III, c. 1) definitur: *Id cuius principium est in ipso agente, cognoscente singula*; *De Fide*, lib. II, c. 14.

*perfectum*, quod a nonnullis dicitur *spontaneum*, procedit ex cognitione, quae in sola finis apprehensione consistit sine hoc, quod cognoscatur ratio finis, et proportio actus ad finem; nempe ex cognitione, quae non pervadit rationem formalem finis, eius cum mediis proportionem perpendendo. Hoc modo *spontanei* sunt actus *appetitus sensitivi*, ideoque tribuuntur etiam brutis <sup>1</sup>.

Hic abs re non erit discrimen adnotare inter *appetitum naturalem*, *sensitivum* et *intellectivum* <sup>2</sup>, quod apertis verbis explicat s. Thomas, inquit: « Est nempe quidam appetitus non consequens apprehensionem ipsius appetentis, sed alterius: et huiusmodi dicitur appetitus naturalis. Res enim naturales appetunt quod eis convenit secundum suam naturam, non per apprehensionem propriam, sed per apprehensionem instituentis naturam. Alius autem est appetitus consequens apprehensionem ipsius appetentis, sed ex necessitate, non ex iudicio libero; et talis est appetitus sensitivus in brutis, qui tamen in hominibus aliquid libertatis participat, in quantum obedit rationi. Alius autem est appetitus consequens apprehensionem appetentis secundum liberum iudicium, et talis est appetitus rationalis, sive intellectualis, qui dicitur voluntas <sup>3</sup> ». Exinde colligitur discrimen inter operationes humanas, et operationes brutorum, atque rerum naturalium in eo consistere, quod res naturales agunt absque iudicio, bruta ex iudicio, at non libero, homines ex iudicio libero.

XVI. VOLUNTARIUM LIBERUM—NECESSARIUM. *Voluntarium necessarium* est illud, ad quod voluntas naturaliter ordinatur, ita ut nequeat ipsum ad suum nutum accommodare. Hoc modo ad voluntatem refertur ultimus finis, qui est beatitudo, seu bonum in communi, et ea quae in ipso includuntur, ut est conservatio sui, cognitio veritatis, etc. *Voluntarium liberum* est illud, ad quod voluntas nulla vi interna impellitur, ita ut circa ipsum sui iuris sit, et indifferentia gaudeat, seu ita unum prosequatur, ut non sit necessario determinata ad ipsum prosequendum, sed potestatem retineat vel non prosequendi, vel prosequendi

<sup>1</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup> q. VI, a. 2 c. — <sup>2</sup> Vid. p. 18.

<sup>3</sup> *Ibid.*, q. XXVI, a. 1 c. « Voluntas est mens appetendi vim habens et appetitus rationem sequens, in id, quod appetitur, tendens »; s. Iren., *Fragm. Sermonis de Fide*.

oppositum. In horum censum veniunt bona particularia <sup>1</sup>. Hinc in actibus *voluntariis liberis* libertas arbitrii; in actibus *voluntariis necessariis*, libertas tantum a *coactione* exercetur <sup>2</sup>.

XVII. VOLUNTARIUM MORALE — PHYSICUM. *Voluntarium physicum* est illud, quod oritur ex voluntate ipsius personae quae agit. *Morale* autem est illud, quod fit per procuratorem, cui ius nostrum commissum est vel a natura, vel a lege, vel a nobis.

XVIII. VOLUNTARIUM DIRECTUM — INDIRECTUM. *Voluntarium directum* vel *secundum se* est illud, in quod voluntas proprie fertur. *Indirectum* dupliciter dicitur, nempe vel « secundum suam causam, quando voluntas fertur in causam et non in effectum, ut patet in eo, qui voluntarie inebriatur; ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur quod per ebrietatem committit »; vel illud quod voluntas potuit prohibere, sed non prohibet <sup>3</sup>. Hoc sensu voluntarium *indirectum* a nonnullis dicitur *negativum*. Nam « voluntarium dicitur, quod est a voluntate; ab aliquo autem dicitur esse aliquid dupliciter: uno modo directe, quod scilicet procedit ab aliquo, in quantum est agens, sicut calefactio a calore: alio modo indirecte, ex hoc ipso quod non agit; sicut submersio navis dicitur esse a gubernatore, in quantum desistit a gubernando <sup>4</sup> ». Neque cuiquam negotium facessat, voluntarium, sive actum voluntatis in negatione consistere. Nam « omissio est voluntaria non quasi actu voluntatis in ipsam transeunte, sed quia in voluntatis potestate est actum non facere, sicut et facere; et ideo sicut actus dicitur voluntarius, quia est in potestate voluntatis, ita et omissio actus <sup>5</sup> ».

XIX. VOLUNTARIUM SIMPLEX — MIXTUM. *Voluntarium simplex* seu *purum* est quod omnino et absolute volumus: *Voluntarium mixtum* est quod fit quidem ex voluntatis consensu, sed non sine aliqua repugnantia; uti confessio criminis vi tormentorum a reo extorta; proiectio mercium tempestuoso mari ad vitandum naufragium etc. Jam huius-

<sup>1</sup> I, q. LXXXIII, aa. 1 et 2. — <sup>2</sup> Vid. p. 192.

<sup>3</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LXXVII, a. 7 c. — <sup>4</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. VI, a. 3 c.

<sup>5</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XXXV, q. 1, a. 3 ad 5. Vid. etiam quae ad hanc rem attulimus in explicatione vocum, *Directe — Indirecte* p. 96 97.

modi actus *hic et nunc*, « prout scilicet est impedimentum maioris mali, quod timebatur », est *simpliciter voluntarius*; sed *involuntarius secundum quid*, « idest prout consideratur extra hunc casum existens <sup>1</sup> »; siquidem « involuntarius est sub conditione, idest, si talis metus non immineret <sup>2</sup> ».

XX. VOLUNTARIUM VIRTUALE — FORMALE. *Voluntarium formale* est illud, quod procedit a voluntate per actum proprium. *Virtuale* autem est quod includitur in aliquo actu praecedenti, et ab eo consequitur. E. g., dum quis iter facit, singuli gressus dicuntur voluntarii *virtualiter*; quia procedunt ex voluntaria, efficacieque intentione, quae se commisit viae <sup>3</sup>.

## V

## EFFATA

I. VELLE RERUM MUTATIONES, AUT CONTRARIA SUCCESSIVE FIERI, NON EST MUTARE VOLUNTATEM. Aliud nempe est mutare voluntatem, aliud velle aliquarum rerum mutationes. Tunc enim voluntas mutatur, cum incipit velle, quod prius non voluit, vel desinit velle, quod voluit. At potest aliquis, eadem voluntate immobiliter permanente, velle quod prius fiat hoc, et postea eius contrarium <sup>4</sup>. Quocirca, ex eo quod Deus fieri alternis vicibus diversa, immo opposita velit, nihil contra Eius immutabilitatem argui potest, siquidem illa successio et varietas non quidem ipsum actum voluntatis Dei spectat, sed effectus Divinae voluntatis.

II. VERITAS RERUM NATURALIUM EST POSTERIOR INTELLECTU DIVINO; PRIOR INTELLECTU CREATO. Intellectus enim Divinus est mensura entitatis et veritatis rerum, quippe quae dicuntur verae, quatenus consentiunt cum Ideis Divinis <sup>5</sup>. Ergo veritas rerum naturalium posterior est Intellectu Divino. At res naturales sunt mensura veritatis nostrorum conceptuum, quippe qui dicuntur veri, quatenus consentiunt cum ipsis rebus <sup>6</sup>. Ergo veritas rerum est

<sup>1</sup> *1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>*, q. VII, a. 6 c. — <sup>2</sup> *Ibid.* ad 3. — <sup>3</sup> Vid. p. 178.

<sup>4</sup> Vid. s. Thom., I, q. XIX, a. 7 c.

<sup>5</sup> Vid. p. 381-82. — <sup>6</sup> Vid. *ibid.*

prior, quam veritas nostri intellectus <sup>1</sup>. Iam ex hoc ipso, quod res ipsae sint mensura intellectus nostri, atque earum mensura sint exemplaria Divini Intellectus, consequitur veritatem logicam, quae est obiectum nostri intellectus, ab ipsius intellectus aestimatione non pendere, sed in ipsa realitate rerum, et ideo in immutabilibus exemplaribus Divini Intellectus fundamentum habere.

Hoc unum satis est, ut refellantur tum veteres Sophistae, qui veritatem logicam non esse absolutam, sed relativam, tum recentes progressus assertores, qui illam mutari et progredi contendunt: « Non enim ita ideo est in re, quia videtur nobis; sed magis quia ita est in re, verum est quod videtur nobis <sup>2</sup> ».

III. VERITAS NON SUSCIPIT MAGIS ET MINUS. Nempe, si accipiatur veritas prout est *adaequatio* rei et intellectus, non datur una veritas altera maior; nam ratio aequalitatis non suscipit magis et minus <sup>3</sup>. Attamen si consideretur ipsum *esse* rei, in quo veritas fundatur, existit una veritas altera maior; quae enim sunt magis entia, sunt magis vera: « Cum veritas consistat in *adaequatione* intellectus et rei, si consideretur veritas secundum rationem aequalitatis, quae non recipit magis et minus, sic non contingit esse aliquid magis et minus verum; sed si consideretur ipsum *esse* rei, quod est ratio veritatis, eadem est dispositio rerum in *esse* et veritate; unde quae sunt magis entia, sunt magis vera; et propter hoc etiam in scientiis demonstrativis magis creduntur principia, quam conclusiones <sup>4</sup> ».

IV. VERUM ET BONUM CONVERTUNTUR. Tum enim bonum, tum verum convertitur cum ente <sup>5</sup>. Ergo ipsum bonum convertitur cum vero, seu bonum et verum idem sunt *secundum rem*. Ea tamen differre *ratione* patet ex eo quod *bonum* respicit appetitum, *verum* autem cognitionem. Hinc sequitur ut verum *secundum rationem* sit prius quam bonum; cognitio enim naturaliter praecedit appetitum <sup>6</sup>. Cir-

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 2.

<sup>2</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XIV, q. V, a. 2 ad 2.

<sup>3</sup> « Una quippe est veritas, nec in partes divisa »; s. Ioann. Chrysost., *In Matth. Hom.* XLVII, al. XLVIII, n. 2.

<sup>4</sup> *Qq. dispp.*, *De Virtut.*, q. II, a. 9 ad 1.

<sup>5</sup> Vid. p. 45, et p. 383. — <sup>6</sup> I, q. XVI, a. 4 c.